

bus ignis intensius aqua calefacta, non aliter, quam ignis uri; sic Spiritus sancti operatione ad divinam aqua reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt. Omnia Dei sapientia mira dispositione gubernat, & valde proportionate ad ea, quae in creatione sunt facta, in restauratione disponit, & agit, veluti approbans, ac in prima creationis dispositione persistens. Et sicut in primo rerum molimine ex corpore, & spiritu hominem fabricavit; ita in restauratione eum corporali aqua, at divino vivificat spiritu, ac ducit ad vitam. Ait caelestis anima, Surgam, & circumbo civitatem, per vicus, & plateas quarum, quem diligit anima mea. Cantic. 2. num. 3. Per vicus, & plateas; homines intelligunt Divus Gregorius Magnus lib. 26. moral. cap. 8. & homil. 26. in Evang. Beda, Divus Anselmus, & alii Magnum laet mysterium, quod dum bona anima alta divini sponsi consilia & opera quaerere, ac investigare affectat, ad homines confugit ac divertit. Quaram per vicus, & plateas, hoc est, per homines persecutorum, ac quaram; ea enim, quae pro hominibus est operatus, & sui insecrabilis consilii invisibilia ex visibili hominis operatione patefunt. D. Gregorius citato lib. 2. moral. cap. 8. Deus, inquit, dum factura sua decus foris proponit quasi quibusdam se nobis nutibus innuit, & qua intus sequamur ostendit, ac mirum modo ipsi formis exterioribus nos ad interiora perducit, innuit immensa admiratione, quod est, mira haec exterius ostendendo, qua non est. In Baptismo interveniunt aqua, & Spiritus sancti cooperatio, ut dom aqua exterius lavat, internam significet ablutioem, quam spiritus confert.

Cant. 2.

Alb. Mag.

Beda. Anselm. Dei opera per visibilia demonstrantur.

Greg. Mag.

QUESTIO XVII.

Quare huiusmodi regeneratio fit in aqua? Rationes peculiates expendo.

88. D. Thom. Aqua proprietates Baptismo affectiones exprimit.

89. Cyrill. Jerof.

Præter rationes superiori quaestione datas; alias inquiri. Et primò responderet Divus Thomas 3. part. quaest. 66. art. 3. nempe, aquam, convenienter fuisse assumptam in materiam Baptismi, quia suis proprietatibus mirifice Baptismi affectiones indicat: aqua enim sua humiditate lavat; bene exprimit ablutioem peccatorum, quam Baptismus operatur. Et quia aqua sua frigiditate temperat calorem, optime significat hoc Sacramentum, quod concupiscentiae fomitem temperat. Et quia sua diaphaneitate est susceptiva lucis, bene significat Baptismum, qui est Sacramentum fidei, qua homo illuminatur ad cognoscenda supernaturalia mysteria. Et tandem quia, dum homo aqua submergitur in Baptismo, quasi in sepulchro projicitur, & inde emergens quasi resurgit; optime figuratur renovatio interioris hominis facta per Baptismum, per cuius virtutem vetus homo moritur, & novus resurgit. Secundò D. Cyrillus Jerofolymit. Catech. 3. Si quis inquit, scire desiderat, quomodo per aquam potius, quam per aliquid aliud elementum gratia detur, sacras Scripturas relegens inveniet. Magnum quidem est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum est caelum; atqui ex aquis sunt caeli.

Terra est hominum locus; atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem rerum creaturam sex illis diebus distinctionem, spiritus Domini ferebatur super aquas. Principium mundi aqua, principium Evangelii Jordanis, Liberatio Israelis à Pharaone per mare facta est; liberatio à peccatis mundi per lavacrum est aqua in verbo Dei. Ubique fœdus aliquod inter Deum, & hominem, ibi & aqua. Post diluvium fœdus percussum est cum Noe fœdus & cum Israele in monte Sinai: verum haec non sine aqua, & lanarubea, & hyssopo. Elias assumptus est in caelum, & non sine aqua. Optime ergo aqua, quae tantis præparata erat mysteriis, assumitur in materiam tanti Sacramenti, cum per Baptismum homo ex terra transeat in caelum, à Diabolique liberetur captivitate, & Spiritus sancti habitatio fiat, ac inter Deum, & hominem firmetur fœdus sempiternum. Deinde aqua, quae tantis ministeriis inservivit digne ut nobiliretur, in materiam tanti Sacramenti assumitur.

Tertiò Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 3. Primis aquis præceptum est, animas proferre. Prius liquor, quod viveret, edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aqua animam noverunt. In primo rerum molimine dixit: Producant aqua reptile anima viventis, & volatile super terram sub firma-mento caeli, Genes. 1. num. 20. Inter omnia elementa primo omnium aquis committitur, ut animas viventes producant, quae tam per undas narent, quam per aëra, ac caeli tractus volitent. Pereleganti igitur ratione aqua in Baptismo eligitur; ut homines regeneret, ac ad caelestia ducat, cum inter elementa aqua extiterit prima productione viventium, ac volatile, ad caeli ambitum primo produxerit, est enim, qui extollatur super ceteros maxime dignus, qui aliquod virtutum facinore primas habet. Vide Tertullianus lib. 1. cap. 2. n. 22.

Quartò D. Zeno ferm. 10. de Judæis. Illorum, scilicet Judæorum, profugus populus per mare rubrum dextera, lavaque undarum suspensibus rupibus pede sicco transivit; ac nostrum mare, quos voluntarios suscepit, feliciter naufragos fecit: interimensque universa peccata, genitali unda submergit, caelestes effecti terram desiderare non norint. Nostra regeneratio fit in aquis potius, quam in alio quocumque elemento; quia hoc eis peculiariter est ingenium, ut terram aquis undis operiant, ac occultent, & generosas ad volandum in caelum aves, ut in prima rerum creatione, producant: nobis enim transitus in patriam præparatur alite, ac Judæis per mare rubrum; nam illi, utpote terreni, divisus undis aperta terra, & sicco in patriam gradiuntur pede: nos vero tanquam spirituales, non aquarum divisione, sed cooperta, atque occulta, omiffaque terra, utpote sublimes volucres, ad volandum, in caelumque eundem præparatur.

Quintò D. Paschasius lib. 2. contra Macedon. cap. 1. Omnes, inquit, quicumque sacro fonte submergimur, mortem, & sepulchram Redemptoris imitamur, sicut ait Apostolus Roman. 6. An ignoras, quia quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem. Sicut enim ille tridua morte sepulchro conditus fuit, ita & nos in aqua, id est, inter cognata creatura substantiam trina submerfione depositi, dum descendimus, sepelimur; dum emergimus, suscitatur.

Pfalm. 68. Cant. 8.

93. Pfalm. 103.

August.

Cant. 3.

In cruce Christi invenitur.

Gillib. Abb.

mur. In aqua Baptismus instituitur; ut hominibus in cruce modum, & figuram sanctificetur emersione, & gratia condecoretur: aqua enim Christi passionem adumbrat, ut patet ex citato Pauli loco, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Pfalm. 68. num. 3. Aqua multa non poterunt extinguere charitatem. Cant. 8. n. 7. In aqua, seu in umbra passionis Christi cum trina emersione confertur Baptismus: semper enim per crucis vexillum ad nos salus advenit.

Ait Regius Vates Pfalm. 103. num. 25. Hoc mare magnum, & spatiosum; ibi reptilia, quorum non est numerus. Sed cum istius mundi pelagus tot periculis sit plenum, tot animalibus vitam nostram insidiantibus repletum, quomodo, ne in Scyllam, & Charibdim incidamus, nisi ligno navigemus, transietari poterit. D. Augustinus ibi sic fatetur: Repentes tentationes quis moneat? Repunt, sed cave, ne surripiani. Vigiletur in ligno, etiam in aquis in cruce navigamus, etiam in fluctibus tui sumus. Qui enim per hoc procellosum mare ligno crucis navigat, ab omni tempestate, maloque insidiante est maxime securus, ut naufragium non timeat. Hac præclara doctrina bene erat instructa pia anima illa, dum dicebat Cantic. 3. n. 1. In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea. Cur sponsa de suo dilecto lectulo, non ad aurem reclinatorium vadit. Ad præcellam Davidis rursum non ascendit non ad moenia civitatis accedit? Ad hortum, atque convallem aromatum plenum non descendit sed in lectulo persistit, & ibi dilectum inquit? Crucis mysterium in lectulo nitet, ibi enim requievit, qui extra crucem non habuit: ubi caput suum reclinaret; & nullibi melius inquirendus, ac investigandus, quam in cruce, ut omni suavitate inveniat. Et bene sub noctis tenebras, hoc est, horrore mortis quaerit, ut cum Christo reviviscat. Gillibert. Abbas ferm. 2. in Cantic. Durus lectulus illud crucis tua lignum. In hoc ergo nascor, & nutrior; creor, & recreor; & super passionis tuae alicuius memoria mihi nidum libenter recolo.

QUESTIO XVIII.

Quare in hac generatione aliquod homini non datur adiutorium, sicut in prima eius creatione?

94.

Genes. 2.

Chrysof.

Postquam ad imaginem, & similitudinem suam divinus opifex hominem condidit, statim de eius adiutorio tractans ait: Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Genes. 2. num. 38. At verò, dum Deus ad secundam hic hominis regenerationem per lavacrum aquae Spiritu sancto cooperante accedit, nullum homini adiutorium concedi video. Quamnam igitur huius discriminis ratio. D. Chryostomus homil. 24. in Joan. Et quemadmodum à principio trinum formavit, ita nunc totum creat; & tunc, Faciamus, inquit, ei adiutorium, hic minime. Quippe qui Spiritus sancti gratiam accepit, nulla re indiget. Qui in Christi corpore perficitur, quoniam alio opus est auxilio? In primo molimine, ac generatione ab homine in eadem humana natura adiutorium exigitur similitudo in Evang. Tom. II.

le sibi, ut pressuras obvenientes vincere possit, in laboribusque levamen habeat. At in hac secunda regeneratione, in qua homo Spiritus sancti gratia ditatus una cum Christo incorporatus, quo duce, & comite omnem etsi difficilem viam feliciter conficere valet; nullus alius exoptatur auxiliator. Misericordias multas ex sterilitate provenientes prænuntiat Isaïas cap. 4. num. 1. inquit mulieres: Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. Optinè sanè, obtento namque Christi nomine mala, ac dedecora omnia conculcantur, D. Hieronymus. Quia in hominibus semper patiebatur opprobrium nullo vivente, ut Spiritus sancti dona posebant: propterea Iesu nomen sibi cupiunt invocari, ut quod in lege imperfectum erat, in Evangelio compleatur.

Secundò, in prima generatione homini datur adiutorium, non verò in hac secunda regeneratione, in qua Baptismus sub crucis signo per aquam præparatur. Et quodnam majus auxilium, ac patrocinium homini potest concedi, quam crucis vexillum. Accedit Nabuchodonosor ad fornacem, & totus admirabundus exclamat: Nonne tres viros missimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei, Daniel. 3. num. 92. Sed unde tam mirabilis vis; ut pueri in medio fornacis à flamma ignis eximantur, ac liberentur illæsi, & veluti tenori recreati aera canentes ambulant D. Macharius Chrysozephalus orat. de cruce. Quartus quoque, qui apparuit, quadrivaria cruce ejus per universum orbem potentiam significavit. Quartus figuram crucis, quae ex qua dripartito ligno constat, exprimebat, & ubi crucis aderat umbra, quid mirum, quod ibi umbraculum ab æsto, refrigerium ab igne, scutum ab omni malo protegens haberetur. Sub umbra enim crucis hominum suscitatur omne, & excluditur malum. Cum Thamar prægnans deprehenderetur, & ad capitis supplicium damnaretur: Misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius haec sunt concepti: cognovi, cuius sint annulus, amilla, & baculus. Genes. 38. num. 25. Judas signa illa videns, eam statim liberam pronuntiavit. Lignens ille baculus Christi Crucem figurabat, quae ibi apparuit, ab omni malo statim fuit tutamen. Theophanes Cerameus orat. in Exaltatione sanctae Crucis. Illa enim, inquit, amorem qua socerum suum misit, accepit ab illo pignori baculum, quo postea mortis discrimen evasit. Thamar igitur Ecclesiam ex gentibus collectam adumbrat, quasi duobus improbis fratribus; impietati scilicet, & multorum Deorum cultui prius junctam, cum nullum pietatis fructum edidisset, surripuit fructum ex Juda, Christum inquam, ex tribu Judæorum ortum, crucemque baculi instar arripuit; per quam à morte anima liberata est.

QUESTIO XIX.

Quare Baptismus dicatur regeneratio?

Eleganter D. Cyrillus lib. 2. in Joan. 6. 72. rem ipsam explicat. Regenerationem ait, Dominus appellavit; ut etiam ex hoc disceremus, idcirco nos Dei fieri participes; quoniam Spiritum

Cum Christo & gratia ejus unum vincuntur dignitates.

Isai. 4.

Hieron.

95.

Cruce ad labores superandos auxiliium præbet.

Daniel. 5.

Machari.

Genes. 38.

Theophan.

96. Cyrill.

*Spiritus, qui substantialiter ex Deo procedit, per Baptismum acquirimus, quo in pristinam pulchritudinem reformamur, & ad novam vitam renati, à Deo in filios, adoptamur. Nostra in Christo natiuitas rectè, & valde nobilissimè regeneratio dicitur, nam si in prima productione, ac generatione, inspiravit Deus in faciem hominis spiritum vivum, & factus est homo in animam viventem, Genes. 2. num. 9. nunc ei in Baptismo per gratiam ipsius Dei spiritus datur: & sicut in natiuitate corporea exoritur homo ad vitam, & lucem, ac bona huius sæculi perfruenda, sic in Baptismo ad vitam spiritualem, & veram animæ lucem, atque ad bona celestia possidenda nascitur homo. Et ut in generatione carnali homo patris sui constituitur filius, sic & in hac regeneratione renascitur filius Dei, & Ecclesiæ, tanquam mater, materiam, quæ est aqua, subministrat, & ita homo ad suam pristinam, quam in paradiso habebat, pulchritudinem reddit. Ait Dominus Isai. 7. num. 3. Egrederere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Isai sub filius tuus, ad extremum aqueductus piscine superioris in via agri fullonis. Et dices ad eum: Noli timere. Ut bonum Regi annuncietur auspiciis, cur ad piscinam aquæ cum filio Isai sub iudetur ascendere: qui filius reversum significat? Aquæ illæ baptismales fontes indicabant, ut fieret manifestum, quod per aquas Baptismi homo ad suam antiquam pulchritudinem, elegantiamque revertitur. D. Cyrillus in Isai. lib. 1. orat. 4. Typum Dei, inquit, representans Propheeta percommode offert pollicitationem auxilii in piscina superioris agri fullonis. Figura rursus est piscina salutaris fontis sacri Baptismalis, qui nos etiam in viam ducit superiorem.*

*Secundo D. Augustinus epist. 23. Nisi quis, inquit renatus fuerit, non ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide: sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ; & spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno Christo ex uno Adam generatum. Cùm naturalis generatio, iuxta Aristotelem, ac Conimbricenses lib. 1. de Gen. cap. 3. quasi. 15. art. 2. tertia assertio, sit quædam mutatio à privatione formæ ad formam in materia; in hac spirituali regeneratione quædam intervenit mutatio à privatione culpæ seu ab expulsiōe illius maculæ ad novam formam gratiæ, per quam filii Dei constituimur.*

*Tertio. D. Zeno loquens ad baptizandos, ait sermone 3. de invitatione ad fontem. Iam vos sempiterni fontis calor salutaris invitat, jam mater nostra adoptat, ut pariat. Sed non ea lege, qua vos matres vestras pepererunt, qua & ipsa parvos dolore gementes, & vos plorantes sordidos, pannis sordidis alligatos, huic mundo deductos intulerunt? sed læta gaudentes, celestis, libera peccatis omnibus absolutos non sordidis cunis, sed suave redolentibus sacri altaris feliciter enutrita cancellis. Valdè diversimodè nos mundialis mater, ac fons vivificus parit. Matres nostræ edunt nos coinquinat, sordidos, gementes, lacrymantes, filios iræ, multique miseris obstrictos; parit nos cælo baptismalis unda pura mundos, magna lætitia perfusos, multa abundantes suavitate, & quod est maximum, filios Dei. Quod doleas, à matris utero habes, à vivifico fonte, quod gau-*

Genes. 8.

Baptismus antiquam pulchritudinem reddit.

Isai. 7.

Cyrril.

97. August.

Aristot. Conimbric. In Baptismo fit mutatio à culpa originali ad gratiam.

98. Zeno.

Qualis sit homo à suis, qualis à Deo

*deas, ac læteris. Vide lib. 1. cap. 1. num. 95. & lib. 31. cap. 1. num. 95.*

*Quarto. D. Zeno serm. 5. de invitatione ad fontem. Quid statis genere, etate, sexus, conditione diversi, mox unum futuri? fontanum semper Virginis maris dulcem ad uterum convolvat, ibidemque vos vestra nobilitari fide, scientes, quoniam quantum quis crediderit, tantum beatitudinis habebit. Homo à naturalibus suis nobile genus habet; ita Christiana Phoenix ex fonte baptismatis renascens concupiscentiæ Christi fidem, ex ipsa fidei professione præclarissimam cœlestem profapia cooptat, ac sibi vendicat. Ait Rex Asbenez p. p. suo eunuchorum, ut introduceret de filiis Israël, & de semine regio, & 7. annorum pueros, in quibus nulla esset macula, Daniel. 1. num. 3. & statim subdit textus: Fuerunt inter eos de filiis Juda Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. Sed cur non dicitur, quod erant de semine regio; ut Regis iussu urgebat, sed regia omnia profapia sacer textus pergit ad explicandam ipsorum egregiam fidem, atque virtutem: Proposuit autem Daniel in corde suo; ne pollueretur de mensa Regis. Optima sane ratio, nulla enim illustrior profapia, ac majus regale genus, qua virtus, ac fides in Deum. Theodoretus ibi. Cum supra dixerit, imperasse Regem, ut eligerentur à stirpe regia juvenes forma conspicui, & magnitudine decori, & his personarum nomina posuerit: Tribus Juda simpliciter mentionem fecit; & regiam cognitionem occultavit Judas, id est, Domini confessio Genes. 29. num. 35. & ex hac potius, quam ex regali sanguine nobilitas cooptanda est.*

99. Idem.

Daniel. 1.

Theodor. Ex fidei confessione nobilitas magnâ.

*Ioannis 3. m. 6. Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

VERSIONES.

*Tertull lib. de Quod in carne natum est, carne Christi caro est. cap. 18.*

*Idem lib. 2. ad Quod natum est de carne, caro est, de spiritu vita.*

EXPOSITIO.

**H**is verbis Dominus superiorem declarat sententiam, & ex manifestioribus ad abscondita ducit: & valde subtilem ponit rationem, sicut enim ex carne caro nascitur, ita ex spiritu spiritus producitur, hoc est, sicut caro generans, carnale, & humanum esse tribuit, ita spiritus regenerans, divinum gratiæ spirituale esse largitur, per quod homo fit spiritualis filius Dei. Et ita hoc loco, ut bene observat Theophylactus, ponuntur substantiava pro adjectivis, hoc est; caro pro carnali homine, spiritus pro spirituali, spiritus autem hic regenerans, hoc est, Deus, ut observavit D. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 11. D. Augustinus lib. de fide & symbolo, cap. 19. Unde eleganter ait D. Chrysostomus homil. 25. Natiuitatem hoc in loco, non secundum substantiam, sed secundum honorem, & gratiam

100.

Theoph. Ambros. August. Chrysost.

*gratiam intelligit. Ostendit Dominus, non de carnali generatione habere sermonem, in qua totus inherebat Nicodemus: sed de alia multo nobiliori, & excellentiori, quæ est ex gratia, per quam homo divinum spiritum ebibens, ab eo ad omnes operationes agi, moverique videtur; ac per illius divinum afflatum maxime transformatur in mores, & actiones, quæ ab ipso divino dictantur spiritu, ita ut ab ipso natus homo spiritus, seu spiritualis appellari maxime valeat. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joann. cap. 43. Nam ex spiritu sancto, inquit spiritum hominis dicimus, non quia ex eo, secundum naturam est; sed quia per ipsum ad Deum reformamur, ac proprio obiectu insipienti ad suam, ut sic dixerim, qualitatem animo transformamur.*

Cyrril. Alex.

101.

Math. 1.

104. Maldon.

103. Chrysost. Galat. 4.

Euthym. Theoph. Vera solutio.

QUESTIO XX.

*Qua ratione Christus Dominus, cum sit natus ex spiritu sancto, constat humana carne?*

**D**ifficultas hujus quæstionis oritur ex Christi Domini verbis: Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu sancto est. De Christo Domino autem dixit Angelus Math. 1. num. 20. Quod in ea natum est, à spiritu sancto est; ac proinde iuxta hujusmodi pronuntiata videtur dicendus Christus Dominus, non caro, sed spiritus; quod repugnat cum fide Catholica, quæ tenet, Christum Dominum fuisse verum hominem corporeum, & sensibilem, compositum ex anima rationali, & vera carne. Quod ergo sensu dicatur natus à spiritu sancto, est explicandum.

Respondet primò Maldonatus, exponens hoc loco carnem de carne peccati. Et sensus hujusmodi rei est inquit: Quod nascitur ex carne, caro est: id est, quod nascitur ex homine peccatore, homo peccator est; Christus autem neque peccator est, neque ex homine peccatore natus. Sed expositio est non multum germana; Christus Dominus hic terminos generationis tantum explicare intendit; ac proinde quod productum affimiliter principio suo. Deinde quamvis in mundo nullum daretur peccatum, adhuc verum esset dicere: Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus.

Respondet secundò, & valde egregie D. Chrysostomus homil. 25. in Joann. Christi caro non à spiritu tantum parta est, sed etiam à carne, quod Paulus significat, cum ait: Factum ex muliere. Spiritus carnem Christi formavit, non tamen ex nihilo, sed ex carne virginali. Similiter Euthymius, Theophylactus. Vera solutio hujus quæstionis stat in hoc, quod Christus Dominus hic loquitur de generatione spirituali; Christus autem secundum carnem natus ex purissima virgine Maria, & quia in hac admirabili generatione concursus viri non intervenit, spiritus sanctus sua infinita virtute ex purissimo sanguine Virginis efformante, & organizante corpus Christi humanam operationem supplevit. Et hac de causa Christus caro natus, quia spiritus sanctus ita est principium, ut viri in materia operantis suppleret virtutem.

*Tertio dico, quod Christus Dominus potest dici spiritus in eo sensu, de quo hic agitur in textu, sicut quilibet justus: nam dicitur natus ex spiritu spiritus, non quia secundum suam essentiam physicam, & reale sit spiritus, verum, quia secundum esse invisibile, & per dona spiritus sancti, cui in suis operationibus conformatur, homo spiritus sit, seu totus spiritualis, ut rectè explicat D. Cyrillus adductus in expositione. Et D. Basiliius homil. de Baptismo, tractans hunc locum: Quemadmodum, inquit, quod secundum carnem natum est, ex aliquo tale est, quale id, ex quo natum est? ita & nos necessario ex spiritu nati, spiritus efficiamur: spiritum dico, non secundum eminentiam illam, & humano sensui incomprehensibilem spiritus sancti gloriam, sed secundum eam, quæ in distributione charismatum Dei per Christum unicuique ad utilitatem facta est. Si ergo justus in hoc sensu dicitur spiritus, prout spiritus sancti dona in se recipit, multo excellentiori modo Christus Dominus dici poterit, prout substantialiter est sanctus per gratiam unionis, & super omnes creaturas maxime ditatus donis gratiæ; & spiritus sancti. Non tamen ex hoc inferri potest, quod ipse sit adoptivus filius Dei, cum sit filius naturalis, & filatio adoptiva cum naturali pugnet. D. Thom. Vide D. Thomam 3. part. quæst. 23. art. 4.*

102. Quomodo justus dicitur natus ex spiritu.

Cyrril. Basil.

D. Thom.

*Ioannis 3. 7. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.*

VERSIONES.

*Syriacus. Non mireris, quod dixi tibi.*

*Theophylactus, Oportet, vos nasci è supernis.*

EXPOSITIO.

**H**æc verba ad sequentia referunt D. Cyrillus Alexandr. D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij, ac si esset sensus. Non mireris, quod dixi tibi: Oportet vos nasci denuo; quia spiritus, ubi vult, spirat. Sed meo videri, magis sunt connectenda cum superioribus. Ita docent Albertus Magnus, D. Thomas, Vatablus in scholis, Maldonatus, & alij. Dixerat enim: quod natum est ex carne, caro est; quod ex spiritu, spiritus: inferi ergo ex hac sententia, non esse mirandum, quia ipse non loquitur de generatione carnali, quia tunc esset admiratio valde dignum, quod homo ex senesceret puer, & suam amitteret esse, ac denuo acciperet aliud. Sed procedit sententia Domini de generatione spirituali, in qua interveniente spiritus sancti gratia non est mirum, quod homo denuo nascatur spiritualiter filius Dei. Et ideo D. Thomas statim subjunxit. Spiritus ubi vult, spirat. Duplex est autem admiratio, ut notat D. Thomas, una miratio, quæ oritur ex devotione, dum quis Dei mirabilia considerans cognoscit, se ea non posse comprehendere, & tunc miratur. Ita dicitur Psal. 92. num. 4. Mirabilia in altis Dominus, & Psal. 118. num. 129. Mirabilia testimonia tua. Altera verò admiratio est, quæ oritur ex infidelitate, quæ non creditur

105. Cyrril. Alex. Chrysost. Theoph. Euthym. Beda.

Albert. Mag. D. Thom. Vatabl. Maldon.

D. Thom. Duplex ad miratio.

Psalm. 92. Psalm. 118.

credetur